



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Sanctvs Ac Fortvnatvs**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCXLVIII**

S. Maria Magdalena. 22. Iulij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53246)

## S. MARIA MAGDALENA.

22. Iulii.

1. Magdalena fuit famosa in ciuitate peccatrix, à qua Dominus septem dæmonia, plurium peccatorum auctores eiecit, & ex vase iræ DEI, Vas gratiæ effecit. DOC. Quis de misericordia Dei diffidat?

2. Tacta Spiritu Dei ex concionibus Christi, ad quam eam soror sua Martha induxit, publicam agit pœnitentiam, quæ publicè peccauerat: In domo enim Leprosi accumbenti ad mensam IESV, stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes, & capillis capitis sui tergere & osculari, nec non unguento ungerere pretioso, nihili faciens diſteria aliorum. DOC. Sic & tu serio pœnitentiam age de peccatis, & contritionem prode, ac amorem in DEVM.

3. Defenditur publicè à Christo contra obmurmurationes Pharisei, auditque verbum bonum & misericordia plenum: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit. DOC. Ama Deum intensè, qui te tantum amauit.

4. Lazaro fratri suo defuncto vitam exorat. Christum cum sorore Martha sæpius hospitio suscipit; & hac satagente circa frequens ministerium, illa sedens ad pedes Domini audiebat verbum illius, & optimam partem eligebat DEVM, nunquam à se auferendum. DOC. Elige hanc etiam partem, si sapis.

5. Christo semper adhæret; sequitur concionantem per Iudæam, eiq; ministrat: sequitur ad crucem: condit, & quærit in sepulcro: corpus eius Hortulani specie rediuium agnoscit, nuntiatque Discipulis. In Massilia, cum Fratre ac Sorore in exilium missa, prædicat verbis, sed magis exemplis, iugi se mortificatione conformans Crucifixo, cuius imaginem ante cellam & oculos suos perpetuo habebat: quid mirum si ad Dilectum tandem inter manus Angelorum euolarit? DOC. IESV fideliter seruito.